

112.

spec.



8971

R. XXXV.

3. no. 79.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words like "INTERCEPTIS EXCRETION" and "GRYNECE" are faintly visible.


ACTIO 2. 1711

1711

1711

1711

DISSERTATIO SOLLEMNIS MEDICA



DE

PRAECIPVIS MORBIS

QVI EX

INTERCEPTIS EXCRETIONIBVS

PROFICISCVNTVR



QVAM

ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
AVCTORITATE ATQVE CONSENSV

PRO DOCTORIS GRADV

LEGITIME CONSEQVENDO

PVBlicae DISQVISITIONI SVBMITTIT

A V C T O R

IOANNES FRIEDERICVS
GRVMBRECHT

HILDESIVS

PROSECTOR IN THEATRO ANATOMICO HELMSTADIENSI.

A. R. S. CIOCCCLXIX. D. XXI. DECEMBRIS

HELMSTADII

EXCVDEB. VIDVA PAVL. DIET. SCHNORR
ACAD' IVL' CAR' TYFGOR.



12047

DEPARTMENT OF BOTANICAL MEDICINE

HERBARIUM

OF

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

ANN ARBOR

RECEIVED

NOV 10 1891

1891

FROM

DR. J. H. RAVENEL

NEW YORK

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

NOV 10 1891

A

SON ALTESSE SERENISSIME

MONSEIGNEUR

LE PRINCE

FERDINAND

DUC DE BRUNSVIC

ET DE LUNEBURG, ETC. ETC.

ROYAUME DE SAXE

MONSIEUR

LE PRINCE

FERDINAND

DE BRUNSWIC

ET ALLEMANDE

MONSEIGNEUR

En mettant l'auguste nom de VOTRE
ALTESSE SERENISSIME à
la tête de cette dissertation inaugurale,
que je prends la liberté de VOUS dédier
MONSEIGNEUR; je n'ai d'autre but que
de

de VOUS témoigner en public le profond respect,
que je VOUS porte et que j'ai tenu jusqu'à
present renfermé dans le fond de mon coeur.
Pénétré des sentimens de la plus juste et de la
plus vive gratitude, pour toutes les graces
dont VOUS avez bien voulu me combler, je re-
connois que c'est à VOUS, MONSEIG-
NEUR, que je dois tout ce que j'ai acquis de
connoissances dans les belles lettres et dans les
sciences, puisque sans la générosité, avec la
quelle VOUS avez daigné m'accorder les
moyens de me soutenir à l'academie, il est cer-
tain que l'état de ma fortune ne me le per-
mettant pas, je n'aurois jamais pu satisfaire
l'inclination que je me suis toujours sentie pour
l'étude. Quoi donc de plus juste, MONSEIG-
NEUR,

NEUR, que de mettre aux piés de VOTRE
ALTESSE SERENISSIME les prémices
de mes progrès dans la médecine, à la quelle
ses gracieuses liberalités m'ont mis en état de
m'appliquer? C'est un tribut que m'impose ma
reconnoissance, et quelque petit qu'il soit, j'ose
dire, qu'il n'est pas indigne de VOUS être of-
fert, MONSEIGNEUR, puisqu'il est le pre-
mier fruit de VOS bontés pour moi. Heureux,
si ce foible essai de ma capacité VOUS prouve,
MONSEIGNEUR, combien j'ai taché à ne
pas abuser de VOS généreux bienfaits et plus
heureux encore, si par l'usage, que j'en ai fait,
je me suis rendu digne de la continuation de VO-
TRE gracieuse bienveillance et de VOTRE haute
protection, que je VOUS supplie, avec toute la sou-
mission

mission

*mission, dont je suis capable, de vouloir bien
m'accorder. Je suis avec un parfait devouement
et le respect le plus profond*

MONSEIGNEUR

DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME

à
Helmstedt,
ce 21 Decemb. 1769.

*le très humble, très obeissant et
très respectueusement soumis
serviteur*

I. F. GRUMBRECHT.





PRAEFATIO.



TA quidem mos fert in academiis, ut Doctoris privilegia consequuturus libellum in lucem emittendum curet, quem aduersus dissentientium argumenta consueto ritu defendat. Meditanti mihi de materia disputationis ad praefens non licet solito difficilliozem sumere, quippe quam subtilius persequi haud vacat, immo vero festinatio prohibet, ut ea peragantur, quorum gratia, quae promam, scribuntur. Edo specimen, leuius quidem, attamen utile. Noua certe non vendito. Ceterum operam dabo, ut et prius audita suo quodque ordine enucleem diligentius. Erit fortasse, ut aliquando grauiora adgrediar, quum munus imperabit a Serenissimo Brunouicensium Duce clementissime mihi datum argumentum selectius. Beneuolentiam interim quaero et gratiam lectorum tanto scilicet studio, quanto nouitius quisque auctor popularem auram aucupari solet. Lectorum potius fauori, quam arbitrio criticae me malim commendatissimum,

A

DISSER-



D E
P R A E C I P V I S M O R B I S
E X
I N T E R C E P T I S E X C R E T I O N I B V S .



§. I.

S a n i t a s .

EXCRETIONVM iusto successu sanitas, vigor atque integritas corporis continentur; *sanitas* quatenus natura ab iis inoffensa redditur, *vigor*, quoniam iusto illarum transitu succedente causa est nulla, quae tonum deprimere neruorum fibrarumque queat, *integritas* denique, quam in philosophorum scholis *perfectionem* minus latine dicunt, ea quidem, quae mutilum etiam corpus ceteroquin incolume conseruat. Latent enim femina morborum simul ac naturaliter eiicienda retinentur; diutius vero turbatus excretionum ordo aegrotationem parit certissime. Tantisper dum expellenda de corpore rite secedunt, dum meatus cuticulares patent idonei deducendis sensim et per sudorem emittendis ingratis corpori humoribus, dum hi salutariter perspirant, hominem bene valere, alacrem atque laetum esse videmus, ad muneris sui functiones paratissimum promptissimumque. Quodsi autem exitus inuisae ac detritae corpori materiae obstructi fuerint, impedita ea ex continenter adfluentibus incrementa capit,
vires

vires musculorum infringit, corpus hebetat et aduersam valetudinem inducit. In natura itaque inoffensa, seu in iusto singularum excretionum successu, SANITATEM positam esse existimo.

§. II.

Excretio.

AD naturales vero excretiones pertinent transpiratio SANCTORII diligentia cognita; deinde salivae humor, quem parotides et variae glandulae sub lingua, itemque maxillares internae aliaeque large in ore suggerunt; narium mucus; aurium sordes; vesicae humor et faeces; tandemque humores, quos ramuli minutissimi intra corpus perspirant, et qui adfluxu suo liquorem subministrant fibras humectantem lubricantemque, dum iidem illi suos e corpore exitus demum inueniant. Praeter ea iis aliae accedunt, quae, etsi non omnibus contingunt, in naturalium tamen classe recte censentur, vt haemorrhoidum ac menstruorum ordinaria fluxio, itemque lochiorum, naturalis feminis profusio, pituita denique quam citat tussis ex bronchiis pulmonum, itemque lactis excretio. Quas singulas excretionum formas definitio vniuerse complectitur. Generatim autem EXCRETIO omnis in actione consistit mechanismi animantis, per quam materia secreta in corpore tandem de eodem exit.


§. III.

Excretionum genera.

LUCIDE ex modo dictis apparet, excretionum duo commode genera constitui: alterum earum, quae COMMUNES sunt, et *necessariae* vulgo appellantur, et hae quidem secundum naturae cursum omni homini, dum vivit, contingunt; vt transpiratio, vrina, faeces cet.; al-

A 2

terum



rerum autem earum, quae vel alterutri sexui vel nonnullis tantum a singulari condicione obueniunt, ut menstruorum, lochiorum, haemorrhoidum fluxio, feminis profusio cet., quas PECULIARES dixerim, non necessarias perperam nominant. Sunt etiam, qui de aliis loquuntur, quae medica quidem arte perficiuntur, sed transeo eas, quum et praeter naturam oboriantur, et ex mechanismo naturalium facile intelligantur, de quibus hic libellus aget.

§. IV.

Animaduersio.

SED quas peculiarium nomine insigniui, ut non singulae eiusdem naturae sunt, ita eas nec singuli alterius sexus homines experiuntur. Nam quum istas quisquam non nisi ex singulari condicione nanciscatur, ubi condicio deest, excretio non consequitur, etiamsi ad naturae ordinem vniuersis quasi familiaris esse videatur. Vnus et item alter casus singulis illas obtingere negat. Exempli gratia ipse feminam noui iam dudum cum marito nuptam, quae nec menstruorum fluxionem vllam experta, nec grauida vmquam facta est. Sed eiusmodi casus non admodum frequentem theoriam ordinarios complexam haud euertunt.

§. V.

V r i n a.


ITAQUE excretiones sigillatim adgredior, primum communes et quotidianas fere. — Ex arteria magna exsurgitur per renes ille humor, qui in vesicam per vreteres delapsus tandem vesicae contractu eicitur. Renes vero circa lumbos *sub imis coxis* haerent extra saccum peritonei, abs quo muniuntur, a musculis lumborum quadratis

ris itemque musculo psoa magno sustenti. In horum tubulis, ab EVSTACHIO centum et triginta annos ante BELLINVM cognitis, etiamsi ab hoc nomen acceperunt, et quorum plus minus mille obseruatores diligentiores non numquam numerauerunt, *urina* e sanguine ducta fecernitur, in papillas destillans, inde in peluim renum minutatim collecta, ex hac in vreterum canales percolatur, qui per transuersas eas membranas, quae inter summam mediamque vesicae tunicam sunt, ad pollicis latitudinem ducti transeunt, vbi in vesica aperiuntur, et sic in cauum vesicae devehunt *urina*m. Atque obliquus is vreterum positus cum villis suis, qui ab extremitate dependent, simul impedimento est salubri, quo minus retroire foedus humor possit. In vesica itaque ille colligitur tantisper, quoad adfluxu eius vesica elastica cum fibris muscularibus suis sensim expansa vires capit solito maiores, et naturali ponderis pressu actionisque suae reciproca-tione, praeter naturam autem vel minore acrioris lotii copia irritata nimis, impedimenta vel sphincteris repugnantis vel arbitrii renuentis superat, et diaphragmatis atque abdominis musculorum ope vesicam exonerat.

§. VI.

Intercepta *urinae* excretio.

HVIC naturae beneficio, quae *urina*m reddit, primum debetur, quod sal decedat corpore, qui alias atpe-rrior fieri et vehementer adfligere corpus posset: deinde acri et nociuo oleo corpus liberatur; tandem materia ter-restris et lapidescens facile, itemque fibris idemtidem detri-ta simul excernitur, quae alias fecernendis praesertim te-nuissimis humoribus obesset, eosdemque impedito transitu retardatos aciores redderet. Contra ea periculosa offen-sio disturbata lotii excretio est, aliquantum peior, si *uri-*



per aliquot dies non reddita sit, mortifera autem certissime, si usque ad decimum et quintum diem praepedita fuerit. Modo enim renes male habent, modo vesica patitur nimium expansa; dolor urget; fibrae ultra suae elasticitatis sphaeram diductae tonum amittunt, et vi repercutiendi sua rursusque sese contrahendi destituuntur, unde atonia, quam brevi interuallo paralysis excipiet vesicae. Qui quidem vesicae morbi senectutem praecipue comitantur; non numquam etiam temperaturam phlegmaticam. In sanguineis enim plethoricis inflammatio potius, gangraena et necrosis vesicae cernuntur; quam miserabilem tragoediam non alius exitus, ac mors, manet. Obstructis urinae viis, sanguis per totum corpus foedo humore scatet, in primis vero in cerebrum redundat. Initio morbi aegrum per somnum diu agitant aquarum species, in quibus se quasi submersum sentire: mox sudor halitusque urinam redolere, sensim sensus hebetiores euadere, aegrotus animo et corpore torpere, rarius dolere, nisi mortis metus accedat, nec ceteroqui male sibi esse videtur. Ultima symptomata ingruentes veterni gradus sunt subinde maiores, qui apoplexia tandem et morte desinunt. In hoc fato exanimatis cerebri ventriculi obsceno humore repleti cernuntur.

§. VII.

De causis impeditae excretionis generatim.

Quum igitur ea sit, quam exposui, morbi forma, qui ex interclusa urinae excretionem plerumque suboriri solet, nunc intrandum est in causas morborum, qui inde nascuntur, et penitus, quae cuiusque morbi origo et sedes sit, peruidendum. Generatim vero causae aut in corpore sunt, aut extra corpus. Si in corpore, aut in renibus, aut in vesica, aut in utrisque. Illarum, quae extrin-

extrin-

extrinsecus proficiscuntur, aliae vehementiori impetu corpus adfligunt, *VIOLENTÆ*, aliae sensim obueniunt *minus violenter INIMICAE*.

§. VIII.

Quae in renibus latent, praetermitto.

QVONIAM autem singulae caussae, quae in renibus latent, ad obstructions pertinent tubulorum, qui lotio secernendo apti sunt, hae vero doctrinam de secretionem proprie attingunt, qua deficiente nec excretio redditur; eas iam praetereo, naturam excretionum praesertim perlustraturus.

§. IX.

Caussae in vesica vel atonia

ATONIA, paralysis, cet. saepe etiam ex aliis, ac §. VI. dictis, caussis corpus opprimunt, et excretionem urinae impediunt. Eiusmodi morbi incursum modo ex alio morbi peruersa curatione suboriri, modo valetudinem aliam naturaliter consequi, modo idiopathica esse potest. In atonia, paralyti vesicae cet. musculos vires deficiunt, quarum auxilio reddi urina debet. Quoties vero in exulceratione, in haemorrhoidibus vesicae, in senio confectis tandem atoniam subsequi videmus, quum nervino liquori transitum ulterius negant fibrae musculorum aetate solito rigidiores arctiusque constrictae?

§. X.

Vel spasmi sunt.

SPASMI quoque, quorum consequens atonia est, urinae excretionem saepe impediunt. Quorum spasmodorum causa vel in corpore latet, vel extra corpus reperitur. Principium spasmodorum in corpore irritatio est, quam



quam in vesica acrimonia excitat materiae tunicam nervosam vel fibras muscutorum arrodentis; quin vel inclinatio ad spasmos ex spasmis modo praeteritis copulatas fibras adfligere similiter valet. Extrinsecus frigus saepe malum importat, quod nempe nec opinato ad abdomen admittitur, quando patet tum propter induculam, si admodum curta sit, tum propter subuculam; si ad obsoletam amictus consuetudinem male sedeat ad umbilicum imo nodo clausa, super abdomen membratim distans. Frigidior aer sic non simplicem noxam contrahit, cutem paulatim constringit, serum vero continenter exhalandum, quod expeditiores exitus non inuenit, retrorsum pellitur, et adfluxu haud interrupto demum stagnat, atque in lymphaticis seri vasculis spissius redditum rheuma gignit vesicae. Atqui haec stagnans glutinosa ac varie crassa lympham sensim ampliata vasa distendit, quo facto partes vasorum, fibrae, praeter naturam extenduntur et nervi focii atque arteriae a latere constringuntur et haec, quae est horum vasorum cum vasis sanguinem vehentibus coniunctio, proxime adiunctas arteriolas premunt; inde hae breuiores, crassiores, turgidae euadunt, liquorem intus repentem retardant, atque adeo magis distensae iam accedentibus crassioribus particulis excipiendis aptae fiunt. Hinc ex tumore cohaerentium fibrarum irritatio, quam celerior fluidorum motus sequitur, qui calorem participantibus infert partibus, qui auctus ardor fit et idemtidem inflammatio. Vesicae vero inflammationem urinam excernendam intercludere qui nesciat fore arbitror neminem.

§. XI.

Causae violentae.

AD causas transeo, quas violentas dicunt §. VII., et quae perturbare urinae excretionem possunt. Ex. gr. si quis

quis ex alto praecipit decidit, item vehemens pressio, ac contusio in lumborum regione, vel infra umbilicum, ubi fundus vesicae locum occupat. Sequitur vero talem vehementiam vel musculorum circa vesicam vel fibrarum vesicae imbecillitas, vel inflammatio. Quae qua ratione officere urinae reddendae possint, in §. x. et xi. demonstratum esse existimo.

§. XII.

In puerperis.

SIMILIS causa in puerperis reperitur, in quibus urinae excretio praepeditur ex leni atonia vesicae ac musculorum abdominis praesertim pyramidalium. Incidit vero haec atonia, si grauida vesicam non paullo ante partum exonerauerit, sub partu autem lotium ob molem capitis fetus urethram versus prementem reddere nequeat. Urina abunde adfertur, vesica tenditur, fibrae musculorum ultra elasticitatis sphaeram explicantur et vi sua destituuntur. Iidem vero muscoli a pondere iam patiebantur ac debilitabantur, ut vel hac ex causa vesicam versus repugnare minus valerent. Sed subuenire in hoc casu atque opitulari facile manus poterit obstetricis pressione supra ossa pubis facta, id quod efficiet exoptato, ut lotium exitum inueniat.

§. XIII.

Signa singulorum.

EXPOSITIS in transcurso causis, quae reprimunt urinam de signis non nihil et de ratione dicendum esse existimo, qua mederi morbis percensitis ars possit. Quod ad signa attinet, quae corpus extrinsecus laesum aut vulneratum esse, vel causam in puerperio indicant, ea per se facile intelliguntur. Cetera aut valetudinem ex frigore

B

ex-

❁ * ❁

extrinsecus admisso §. x. aut vitium circa vesicam vel in renibus hariolari iubent. Si causae in renibus forte aut in vesica resideat, phaenomena morbi praeclare CELSVS * docuit locis infra memoratis. *Inflammationis* autem notae sunt quattuor, rubor et tumor cum calore et dolore. ** Huic accedit, quod intelligentem medicum ea causa, vbi aegrotantem venerei vitii arguere probabiliter licet, haud fugiet. Quod reliquum est, grauioris morbi symptomata in §. vi. exposui.

§. XIV.

C u r a t i o.

AD remedia venio, quae solerti medico in promptu esse solent. In antonia roborantia profunt. Ex. gr. *radices bistortae, tormentillae, gentianae rubrae*, itemque *herbae rorismarini maioranae*. Insuper *origani flores*, et *balustia in vino rubro decocta*, si ea extrinsecus corpori applicentur, et simul interne detur cortex peruuianus. Praecipue vero vicissitudo medicamentorum, quae modo corroborandi modo resoluendi vim habent, votis diligentis medici respondebunt. Simul ac *inflammationis* signa satis patefcunt, vena statim incidenda: adhaec remedia adhibenda sunt, quae generatim aduersus inflammationem dari solent, maxime praecipua. Alium vero lotionibus ducere tum emollientibus tum resoluentibus nitro ac melle paratis satis est. Si spasmi denique vrinam intercludunt, causa spasmorum tollenda est, quae si acrimonia fuerit, salutari subsidio ea erunt, quae acrimoniam musculorum vel vesicae fibras depascentem inuoluunt, et eam complexa per solitas vias sine offensione educunt.

Cuius-

* De medicina, L. 2. c. 7. et L. 4. c. 10. et L. 5. L. 3. c. 10. c. 26. II.

** Idem L. 2. c. 7.

Cuiusmodi, si ab aliis discessero, praesertim *radices althaeae* sunt. Vbi autem frigus inprouide admissum consequentia spasmos creant, regimen a medico imperandum est salubre, cui ea suppetias venient, quae fibras neruorum apprime fouent, et quae sanguinis in orbem motum egregie augent, vt per sudorem emittendis exitus denuo in summa cutis pateant liberi. Eximia propter ea emolliendi virtute praedita sunt cataplasmata calida superimponenda ex *floribus cbamaemeli, meliloti, sambuci* et *lacte*. In primis vero cepae sub fauilla frixae si calidae imponantur, virtutem atque efficientiam suam praestabunt longe exoptatissimam. Quantum enim caloris adminicula, insigniter emolliunt; quantum salia sunt, leniter stimulant, et ita redintegrandae salutis subsidia apposite existunt. Quodsi autem interna medicamenta inania videantur, a chirurgo auxilium petendum est, et spes in commodo catheteris vsu, vel in felici vesicae punctura omnino reponenda est. In grandibus natu et capularibus curatio omnis parum proficiet. Iuuat tamen in senecto corpore, si depelli nequeat morbus efficaciter, ea dare, quibus acerba symptomatum atrocitas leniri possit ac mitigari, et per quae, quo minus ingrauescat vitium, cauetur. Deficiente natura nihil medicina amplius valet, quippe quae in nullo morbo plus sibi quam natura vindicare potest.


§. XV.

A l u u s.

VENIO ad istud beneficium naturae, quo aluum leuat. Qui bene valent, vel singulis vel alternis diebus semel aluum exonerant. Robustioris corporis est, non ita frequenter ire, quo saturi solent; infirmitatis, frequentius. Qui enim recte valent, intestina habent firmiora,

B 2

quae



quae exhauriunt, quidquid salutaris vel succi vel liquoris e nutrimentis in corpus redundare potest. Hinc excrementa rigidiora, figurata, pondere leuiora. Iis e contrario, qui minus valetudine vigent, nisi ex obstructione laborant, aluus fusior fere esse solet, quum vis intestinorum actione sua saepius repetita frangatur ac debilitetur; hinc faeces pondere grauiores sunt, quoniam fluido abundant. Tantisper itaque, dum quispiam ceteroqui sanitatis compos est, nec naturalis cibi appetentia ipsi deest, neque is ventrem duriores sentit, nihil refert, si quando sex aut octo dierum spatio ad ventris secreta non rite secessit. Male sanitati consulunt, qui propter ea aluum ducendum putent. Neque metuenda sub memorata condicione ea sunt, quae Physiologia illustris HOFFMANNI * ominatur, quippe quae non nisi ex intercepta praeter naturam excretionem proficiscuntur. Aluus certe frequentior omnis, vel fusior, imbecillitatis indicium est. Sed aliter CELSVS, aliter celeberrimus BOERHAVIVS ** hac de re sensisse videntur. Ille enim tum *** "deiectio autem a medicamento quoque perenda est, ait, ubi venter suppressus parum reddit, ex eoque inflationes, caliginos, capitis dolores aliaque superioris partis mala crescunt. Sed purgationibus quoque, ut interdum necessariae sunt, sic, ubi frequentes sunt, periculum adferunt. Adfuescit enim non ali corpus; et ob hoc infirmum erit; quum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit." — Tum ** vere, quibus iuuenibus fluxit aluus, inquit, plerumque in senectute contrahitur. Quibus in adolescentia fuit adstricta, saepe in senectute soluitur.

Me.

* In fundament. Diaetet. c. VIII. §. x.

** In Physiol. a praeclariss. EBERHARDO foras data, p. 287.

*** De Medicina L. I. c. 3.

•• Ibid. in subsequ.

Melior est autem in iuvene fusior, in sene adstrictior. CEL-
SVS hoc inter signa longae ac stabilis valetudinis et vitae
refert. Vnum atque idem HIPPOCRATES * sentit. Ma-
ximus BOERHAVIUS autem haud in alia transit, utpote
qui modo causas exponit alui in robustioribus solito ad-
strictioris.

§. XVI

De causis suppressae alui generatim.

ALVUS autem mala est ex toto suppressa, ** Causae vero, quae ventris deiectionem impediunt, vel in solidis corporis partibus vel in fluidis vel in utrisque quaerendae sunt. Ac ratione quidem solidarum habita aut spasmus est faeces praepediens, aut atonia intestinorum. Ad quae intestinorum implicatio et inflammatio pertinent, et hernia incarcerata, cet. In fluidis aut defectus vel mucii intestinorum vel bilis, aut prava humorum indoles saepe supprimit aluum; quo inedia cet. pertinet.

§. XVII.


Intestinorum ac ventriculi atonia.

QVARE quum atonia saepe opprimatur naturalis deiectio, motus peristalticus imminutus faeces retinet. Causa eius motus vis motrix est intestinorum, quae horum irritatione maiorem potentiam acquirit. Minuitur ergo motus iste vel ex atonia, quae sua sponte contingit, vel ex defectu irritationis. Deficiente autem motu peristaltico, quae per pylorum in duodenum intestinum eiciuntur, ulterius depellendi vis etiam deficiet, heic atque illeic ea haerebunt, quo minus viam longitudine sua triginta sex spithamas excedentem recte atque ordine emeti-

B 3 ri

* Aphor. II. 20. 53.

** Celsus L. 2. c. 4.



ri queant; transitus eorum per intestinum duodenum ieiunum ac ileum et hinc per caecum, per colon porro languescet, vel ea in recto retardabuntur serius.

§. XVIII.

Spasmus intestinorum.

CONSIMILI ratione spasmi prohibent et inexplicabilem reddunt viam ex vno intestino ad alterum. Hi enim intestina constringunt et aditum praeccludunt. Quo facto motus peristalticus aequabiliter pergit, vel subsistit plane, vel subito variatus inuertitur. Sic perturbata natura partes a spasms liberas inflat; ex inflatione intestina turgescunt. Vnde dolores cruciatusque alui, quos flatulentos dicunt.

§. XIX.

Voluulus, Implicatio, hernia.


PRAETER EA *voluulus*, itemque intestinorum implicatio, deicienda tandem aluo non possunt non inhibere, id quod quemlibet facile perspicere non dubito. Quod vero ad herniam pertinet, quae incarcerata dicitur, eandem illam arduam et confragosam faecibus viam reddere, subtiliori explanatione haud indiget.

§. XX.

Inflammatio.

SED quae inflammationem praecipue excandescens consequuntur, quin labefactare ac praecidere quoque alui excretionem possint, quis est, qui dubitat? Sanguinis vasa ex inflammatione turgescunt, nerui comprimuntur, neruini liquoris influxus praepeditur, ex quo peristalticus motus turbetur maxime necesse est. Intestina autem, quae sic praeter naturam adffiguntur, non possunt, quin munus deferant consuetum.

§. XXI.



§. XXI.

Deficiens mucus.


CIBVS quem ventriculus tortuosus accepit, liquore suo perfudit, maceravit, molliuit, trituque et calore coxit, confudit confecitque, ad intestina descendit, ad quae pylorus aditum aperit. Ibi primum adfunditur bilis et pancreaticus succus; deinde actione ipsius intestini is magis confectus per ieiuni et ilei intestini ductus exprimitur in lactea mesenterii vasa, et per ductum thoracicum sanguini in vena subclauia sinistra permixtus tandem in omnes partes deuehitur ac distribuitur. Reliquiae autem cibi tum adstringentibus se intestinis tum relaxantibus ulterius per tractus anfractusque intestinorum varie flectuntur. Quae vt recte depellantur, mucus, quem *Peyeri Brunnerique* glandulae suggerunt, intestina lubricat et peristalticum motum sustentat. Deficiente itaque eo mucro excrementa aridis intestinorum tunicis adglutinantur arctiusque vndiquaque lateribus cohaerent, quam vt procedere rite queant absumentisque insuper eorum fluidis absorbentibus vasibus rigidiora redduntur, eadem in turgidis intestinis cunctantur, thrombum formant, et intestina obstruunt.

§. XXII.

Bilis.

QVAM OB REM bilis defectus obstructionem quoque parit, quippe quae stimulans alias ad debitum motum intestina concitat. Bilis a celeberrimo *IUNKERO* hac de causa clyster nominatur naturalis. Rarior vero bilis in intestinis est, vel quando parum fecernitur, vel quoniam tenax inhaeret, vel ob hepatis obstructionem et ductum choledochum a calculis praecclusum vel a materia tenaciori; in infirmo corpore bilis parum acris.

§. XXIII.



§. XXIII.

Morbi ex aluo suppressa.

HACTENVS de caussis, quae aluum supprimunt; sequuntur morbi, qui ex illis oriuntur. Primum inde vitium nimia intestinorum expansio est, quando ea, quae §. XVIII. dixi, et intestina inflant, et excrementa coacervant. Si intestina turgent, diaphragma ordine descendere nequit, eaque de causa actio pulmonum laeditur. Sed hac offensa sanguinis in orbem fluxus turbatur, incommoda vero et prava existit sanguinis confectio. Ad haec turgida intestina et ventriculus tumidus aortam premunt descendentem. Haec itaque acceptum sanguinem remoratur, ex quo uniuersus sanguinis motus, quae coniuncta est arteriarum venarumque compages, vitiose variatur, et quantum ex vna parte impeditur, tantum ex altera contractionis dilatationisque in corde vicissitudo citatur, et sanguis per reliqua vasa libera celerius labitur. Liberior vero prae reliquis ascendens aortae arcus existit. Quum itaque sanguis in pulmonum arteria, vt modo exposui, retardetur, per carotides ac vertebrarum arterias ad cerebrum copiosior manet necesse est, vasa cerebri expandantur; inde capitis dolores, immo delirium. In phlegmaticis, quibus vasa sunt laxiora, fibrae musculares minus arctae ac debiliores, natura pinguis ac mucosa, irritabilitas admodum debilis: in melancholicis, quibus vasa sunt angustiora et rigidiora, irritabilitas difficilior est et minor. Hi quidem, vt et ii, qui parcius viuere, neque vero a pueritia quotidie aluum exonerare soliti sunt, molestias in hoc vitio minores sentiunt. Accidit tamen non numquam, si faeces diutius retardantur, vt vasa multum putridi e faecibus exhauriant, quo tandem saturata sanguinis massa putridis febribus occasionem praebet. Pertinacem alui obstructionem inflam-

flam-

flammatio excipit intestinorum, id quod ex §. x. intellectu facile est. Partes corporis stimulo cordis ex calore agitatae irritationem per totum corpus participant, et vis spastica per cuncta vasa in corpore diffusa vagatur. Horror, qui corpus perstringit, omnes partes permeat ac penetrat. Singula ea symptomata morbi condicionibus modo expositis accessorium necessarium sunt et naturale. Subsequitur denique inimica, immo vero maxime periculosa et grauius malum ominans vomitio. Concitatas in obstructione pertinaci et frequentiores vomitiones atrox ille morbus et horribilis, quem *miserere mei* vocant, excipit, qui aduerso ac omnino contrario peristaltico motu conficitur et in vomitione faecum, quibus aluus deoneranda esset, consistit. Sunt quidem, quibus alia placent in ratione desperati morbi huius reddenda, negantes, excrementa ob valuulam coli BAUHINI retrogrado motu ferri posse, quos aperte tamen ea refellunt, quae in dicto morbo cernuntur, multis obseruationibus anatomicis luculentius demonstrata. Valuula enim illa in eiusmodi miseris vel scissa deprehenditur, vel penitus laxata. Quae, quum ita sint, fortissima conuulsionum vi fieri posse in aprico esse existimo.

§. XXIV.

Remedia aduersus morbos illos adhibenda.

PROPRIA contra suppressum ventrem remedia enemata sunt: sed illico succurrendum est. Tali enim lotionne ceditalui duritia et suppressa idemtidem deducuntur. Si vel atonia laborant intestina, nec deicienda reddere possunt, quoniam laxa nimis, eneruata ac prope sensu expertia sunt, hac leui irritatione vires etiam recuperare sensim possunt. Quodsi vero bilis defuerit, quae irritat intestina vt se adstringant, facile huic caussae vna subuenitur

C

nitur



nitur iis remediis, quae deinceps exponentur. Sed si obstructio tantum morbum creat, maxime profunt emollientia paregorica, vt flores *chamaemeli*, *sambuci*, *meliloti* cum lacte et aqua decocti clystere ingesti. Dehinc, si parum illa proficiunt, fortius stimulantia adhibenda sunt. Si nihil aliud in promptu sit, vrina calida aluum ducet, quae de sano homine sumitur. Sapo etiam in lacte decoctus egregium effectum praestabit. Ita indurato etiam stercorei medebitur, lenitisque spasms dolores mitigabuntur.

Peculiariter vero in atonia, vel irritatione deficiente, utilissimam vim electricam suam roborantia praestabunt itemque stimulantia, *Cascarillae* siue *essentia* siue *pulvis*, *essentia corticis aurantii*, *gentianae* cet.

Praecipua aduersus spasmos medicina *liquor anodynus est cum oleo chamaemeli destillato*. In hysteriis autem atque hypochondriacis eximio emolumento erit, si ab aliis discessero vel *pulvis* vel *ess. castorei*. Item *ess. corticis aurantii* in phlegmaticis inflationes exoptato leuat. Quum *volvulus* difficile cognosci possit, eius sanationem non attingi. Quod ad herniam denique incarceratam attinet, ea trito more reponendo recte curatur.

In inflammationis statu, vti generatim §. xiv. sanguinis detractio curandum est: praebenda deinde nitrosa sunt, vt *emulsio ex seminibus quattuor frigidis cum camphora*, et alia, quae sunt generis eiusdem. Aduersus §. xxi. memorata vitia auxilio erunt ea, quae intestina lubricant, et multa non glutinosa ex apotheca domestica prompta, vt iusculum auenaceum cum passulis minoribus, pruna cocta, mala borstorfiana. Quos bilis delinquit, §. xxii. amariora curabunt, in primis bilis e lucio pisce


pisce adiutrix erit, si in mica panis tamquam pillula sumatur. Opem insuper ferent *extracta trifolii fibrini, centaurei minoris* cet. Secretionem vero bilis adiuuant *rubarbarina laxantia cum terra foliata tartari*, quod medicamentum soluendae tenaci materiae subueniet, quae in hepatico vel cystico ductu haeret.

Singula ea si suo quodque ordine scite usurpatur, in depellendo etiam saeuissimo morbo, de quo §. xxiii. dixi, plurimum valebunt. Sed si morbi atrocitas non nulla symptomata nihilo fecius iteret, his ea adiungenda sunt, quae cauere iis et mitigare incommoda promptius valent.

§. XXV.

Perspiratio.

PROGEDIOR ad naturae excretionem, quae tum copia tum amplitudine omnium maxima memoratuque dignissima recte censetur; quippe quae per corpus humanum, quantum quantum est, patet, et foras euocata per vasa omnium subtilissima in extremitate corporis insensibili ratione exspirat, olim ante SANCTORII diligentiam incognitam, a recentioribus vero argumentis minime dubiis demonstratam. Haec perspiratio est, ad quam quum ii humores pertinent, quos minutissimi ramuli intra corpus exhalant fibras humectantes lubricantesque §. ii., tum vero mador ac sudor, qui, quum sub sensum cadant, nec priscum aeuum fugerunt. Atque quae horum quidem natura sit ac caussa, satis intelligitur primum ex sanguinis in orbem motu ab HARVÆO primum explicato, qui et cordis structura ac potestate, et arteriarum venarumque ei aptarum et nexarum compage continetur, luculentius deinde eos locuples KEILII, DODARTII, GORTERI ceterorumque experientia testatur; tum cum



magna voluptate in iis, quae LEVENHOEKII microscopii subiici possunt cernitur; RUYSCHII denique iniectiones meatus ad cutem, in quibus exitum inueniunt perspiranda, mador ac sudor, clarius monstraerunt euiceruntque. Arteriae nimirum quem ad modum in summas cuticulas oris, narium, faucis, oesophagi, asperae arteriae, pulmonum, ventriculi, intestinorum, vesicae atque vteri desinunt, ita ad extremitatem cutis superioris pertinent, ubi in superficie corporis oblique posita et subtilissimis tandem humoribus emittendis accommodatae sunt. Qui angusti exitus interclusi perspirationi aequae ac sudori meatus frustrantur, atque humores aegre in limine manentes vel iisdem arctius constricti citatos humores repellunt, atque adeo intro manare cogunt. Laxata contra vasorum orificia sudore omnia replent. Impedita autem perspiratione assumptorum et ad sanguinem translatorum maxima pars, quae alias per cuticulares meatus e corpore excerni debuisset, retinetur vtiliter exhalanda. Materia ea, quae exire debuisset, facili negotio acrimoniam induit, et morborum semina spargit. Itidem ratiocinando consequimur, quales inde morbi nascuntur, quum experientia naturam repressi humoris monstret, quippe qui oleosis ac terrestribus particulis mixtis cum salibus constat.

§. XXVI.

BOERHAVII aliorumque sententia.

Ea fere, quam exposui, perspirationis in homine ratio et modus est. Audiendi tamen viri celebres, quid? principes doctorum esse videntur, quorum alius atque alius alium sibi modum peculiarem ad explicandum perspirationis principium assumerunt. Alii scilicet cum HA-
GEU-

GEUNETTO sub reticulata cute miliariarum glandularum ope ea perfici, quae cutis exspirat, autumauerunt. Alii orificia cutis, utpote perspirationis adminicula a sudoris officina internoscunt, hanc enim praesertim miliarias glandulas esse censent; in quibus ipse BOERHAVIUS nominandus est. Magnus ille vir cum VERHEYENO, BERGERO ac KISTEKO sibi persuasit * „glandulas, „ quas miliares vocant, princeps sudoris organum esse, „ cui deinde accederent RUYSCHII vascula: „ Sed quaecumque etiam alicui sententia arridet, vel quae maxime plausibilis sit, mea ad praesens parum refert: singulae conueniunt, perspirationem adesse, cuius disturbatae morbos ego iam exponam.

§. XXVII.


Causae perspirationis.

QVEM AD MODVM in omni corpore organico naturalis fluidi primarii per vasa sua et viscera motus, dum viuit corpus, necessarius est videlicet in plantis propulsio, in animantibus circulatio; ita fluidarum in corpore humano partium aliae ab aliis continenter mobiliibus impeliuntur, donec ex iis subinde insensibilis per minutissima reticulatae cutis foramina halitus euolet. Itaque perspirationis principium circulatio; circulationis vero vis cordis est, §. xxv., atque adeo primam perspirationis causam motrici cordis potestati acceptam referamus necesse est. Secunda causa in vasis posita est, ne sint praecclusa. Aeris grauitate, vel frigore reticulata cutis adeo constringi potest, ut ne vehementissimus incitatissimusque quidem sanguinis motus tollere impedimenta valeat.

C 3

§. XXVIII.

* Vid. Institut. §. 424.



§. XXVIII.

Causae perspiratione priuantes.

INTERCEPTA perspiratione principium aut in solidis aut in fluidis aut in vtrisque quaerendum est. In fluidis vel vitium in qualitate vel in quantitate latet. In quantitate quidem aut post, quam quispiam e grauiori morbo conualuit, aut quando haemorrhagiae, quaecumque sunt, desierunt, aut si denique neruini liquores defecerint. Ex inopia humorum perspirationis defectus nascitur, quoniam circulatio vel subsistit in vasculis minoribus vel placide stagnat; ergo nec secretio in lateralibus vasis perficitur. Itidem in neruini fluidi indigentia cordis ac vasorum actio debilis est, nec debita in minora vasa protenditur, in iisque fecernenda deficiunt. Quae autem non fecernuntur, nec excerni possunt §. II. Hinc subtilissima per madorem, sudorem ac perpetuam transpirationem in cute efficienda deficiunt. Sed haec indigentia naturae officiat oportet, functiones corporis laedat, et mox circum confinia aegritudinis ludat, §. I. Quod ad qualitatem attinet, praua eorum indoles aut crassitudo esse potest aut salium abundantia. In hac exhalanda alias, quoniam solito ponderosiora sunt, ex renum officina ad vrinam deferuntur. In illa vero sanguis vasa fecernentia non permeabit. Labefactatis autem humorum ductibus valetudinis imbecillitatem oriri, quam, quum omnibus morbis obnoxia maxime sit, §. xv. grauiora etiam vitia generare posse, atque haec, quoniam perspiranda superficiem corporis non penetrant, fomitem concipere paene gliscentem, qui non videat fore arbitror neminem.

§. XXIX.

Speciatim in solidis partibus.

RATIONE partium vero solidarum meatus cuticularum

res


res vel obsepti atque obstructi intus sunt, vel extrinsecus summa cutis valde constricta est. Obstructio igitur a materia impura, quaecumque est, et si spiracula sebaceo liquore abundante oblimata, et sic glutinis instar oblita sunt. Constringuntur autem foramina illa invisibilia vel a frigoris vehementia, vel a spasms, vel a febris denique excandescencia. Haec generatim ea attingunt, quae CELSVS commode monet *;” non sequitur, ut quod
 „ alium non adficit, aut eundem alias, id ne alteri qui-
 „ dem, aut eidem tempore alio noceat. Possunt enim
 „ quaedam subesse corpori vel ex infirmitate eius, vel
 „ ex aliquo adfectu, quae vel in alio non sunt, vel in
 „ hoc alias non fuerunt, eaque per se non tanta, ut con-
 „ citent morbum, tamen obnoxium magis aliis iniuriis
 „ corpus efficiant — Medicina enim non nisi contem-
 „ platrix eorum est, quae in morbis communia sunt. „

§. XXX.

Morbi inde oriundi.

NON ille solum curare ad sanandum apposite cer- sendus est, qui causas scitius noscit, et quem prima ori- go causae non fefellerit, sed cui etiam natura morbi constat et sua medicinae cuiusque propria efficientia. Ne- que enim est dubium, quin alia curatione opus sit, si vel superans aliquid vel deficiens aduersam valetudi- nem creat; alia si in humidis, §. xxviii., alia denique si in solidis omne vitium est, §. xxix. Sed exploranda a medi- co praeter causas natura et historia morbi cuiuslibet est, sine quarum notitia nec occurrere neque mederi morbo recte valebit. Alia atque alia symptomata variique mor- bi nascuntur, si manantia per invisibilia foramina subsi- stendo iter claudunt. Primum enim quoniam multa §. xxv.

* In Praef. L. I. de medicina,



xxv. paulatim exhalanda in corpore superant, vasa turgent neceſſe eſt, et dum male adſueſcunt plus capere, quam debebant, plethoram inducunt morboſam. Talis aeger grauitatem corporis ſentit et membra pigra, functiones naturales languescunt, diſtenta corporis facies; ſingula ea, quo magis afficiunt, eo euidentius cacochymiam aliquam vel acidam, vel pituitoſam, vel bilioſam, vel ſalſam cet. ſubeſſe monſtrant.

Accedit obſeruatio conſtans minimeque dubia, ceſſante nimirum vna excretionem augetur alia, quae cum illa propinquitatem habet. Hoc principium vberriſimum ac ſons eſt, ex quo quam plurima in corpore phaenomena fluunt et explicari poſſunt. Perſpirationem interceptam plerumque alui fluxiones ſequuntur. Tantum vero abeſt, vt hae morbi dici poſſint, vt corpori potius, vbi per cutem exhalatio deficit, in beneficii loco deferantur. Humida, quibus tum abundat corpus, copioſius ad inteſtina deuehuntur. In glandulis inteſtinorum, quae a BRUNNERO atque PEYERO nomen traxerunt, humida ſudori analogae ſecernuntur. Conſtant enim iisdem fere corpusculis, ſalis puta, ſulphureis ac terreſtribus; nec differunt, niſi craſſitudine ſua. Saepiſſime id iis accidit, vt per extremitatem corporis emittenda ad inteſtina redeant, quibus profluens aluus familiaris eſſe ſolet; id quod infirmitatem prodit viſcerum.

Quibus propter impeditam perſpirationem mucus in nares redundat, ii coryza ac doloribus capitis, vtpote qui ex ſero inundante ſuboriuntur, aegre laborant. Ingruente mucis exeuntis copia dolores leniuntur. Modo temperet ſibi aegrotus ac redintegrandam perſpirationem curet, conualeſcet illico. Sed ſi ad pulmones redierint perſpiranda, ea male in bronchiorum glandulis haerebunt, et raucitas contrahetur et tuſſis. Illa, quia ſubtiliores bron-

bronchiorum ramuli itemque vesiculae, ex quibus toti rexi sunt pulmones, materia tenaciori occlusa iacent: haec quoniam materia acris et salsa pulmonum nervos stimulat, spiritu aër maiori copia hauritur, haustum non statim reddunt cellulae membranaceae, donec superant abdominis muscoli et vi sua diaphragma attollunt. Quo facto aër in pulmonibus comprimitur, et vi sua cuncta dilatare conatus vtrisque lobos vrget, ex quo tandem aperitur arteria aspera, vnde adspirante spiritu luctans aër velut citato impetu iteratis illico vicibus erumpit. Melius aut secus habent, qui tussi laborant, vt quisque aut diu et vehementer, aut breui et lenius tussi infestatur, prout propter faucium arrosionem vel molestior vel minus molesta, prout vel multam pituitam facit, vel acida est, cet. Finitur autem illis restitutis, quae tussim contraxerunt.

Tum si, quae per inuisibilia cutis foramina manare debuissent, in tunicas reciderint musculorum, quas vaginales vocant, rheumatismum creant. Hunc febris motus proxime sequuntur. — Sunt, quibus quotidie fere vel axilla, vel palma, vel planta insudare solet. Fouendus is sudor sedulo. Si enim subsistit, ad alia defertur loca, vbi molestus erit. Hinc rheuma, cataracta, atque amaurosis, cet.

§. XXXI

C u r a t i o.

DEPELLI memorati morbi aliter nequeunt, nisi restituatur naturalis perspirationis ordo. Eliciuntur vero mador, sudor et per inuisibilia cutis foramina exhalatio vario modo. In vsu quotidiano ea adhibeant aegrotantes, de quibus iam pridem vsu sibi constat, quod maxime sibi conducant ad insudandum. Itaque aeger vtatur quoque

D

poti-



potione calida potius, quam frigida; hiemis tempestate
 aduersus aëris iniurias cubiculo calefacto muniatur, com-
 modo corpus tepore foueat, et in cubiculo ceteroqui
 salubri potius commoretur, nec coeli minus salubris in-
 temperiem petat. Ceterum aut balneo, aut exercitatio-
 ne, aut solis calore, dummodo ne grauiori morbo te-
 neatur, mouere perspirationem tentet. " Vtilia haec ge-
 ,, nera sunt, quoties humor intus nocet, isque digeren-
 ,, dus est. Cauendum autem est, ne quid horum vel in
 ,, febre vel in cruditate tentetur. " *) In hac enim,
 et si grauitas nihilo secius adsit membrorum, alius ducenda
 rhabarbari remedio est. Vbi in extremitate corporis natu-
 raliter exhalanda de recta via declinata ad falsa loca aberr-
 auerint, adiutrix erit, vt sanus fiat aeger, medicina aduersus
 peculiare inde ortos morbos propria. Sic natura in flu-
 ente alio rhabarbarum insuper postulare videtur: sed im-
 peranda a medico praeter ea diligenterque adhibenda,
 quae modo laudauimus, summam cutem relaxandi euocandi-
 que corruptum humorem protinus, et habitum corporis
 mutandi remedia ac temperatum vitae regimen. Vbi ca-
 put dolet §. 30. et coryza accessit lenius resoluentibus vt
 expedit, cauendumque est, ne frigus experiatur corpus,
 et adicienda praeter ea, quae naturalem perspirationem
 promouent. Si increbescit morbus in pedibus balneo la-
 uandis et in leniter laxantibus auxilii copiam habebit ae-
 ger: haec enim in cerebrum redundantia deducunt. In
 tussi inuoluentia defendent, si materia morbi acris et te-
 nuis fuerit; contra si crassior, resoluentia cum bechicis
 permista, in primis *oxymell squillitic.* adiuumento erunt.
 In rheumatis adfectu lenius resoluentia opem praecipuam
 ferent, vt *essentia aristolochiae rotundae* cum *spiritu nitri*
dulci; partes vero, in quibus est sedes morbi, panno
 calido diligenter perfricandae sunt. Si quando febricula
 accessit

*) CELSVS L. 2. c. 17.

accesserit, temperantia cum resolventibus adiuuabunt. Vbi sudor subsistit in pede, palma cet. ordinarius, profunt fricationes validae cum quibusdam calefacientibus et emollientibus partem aegram, et si haec denuo insudare coeperit, iam corpus tam integrum erit, quam maxime esse in eo genere valetudinis solet, certe non erit, quod grauiora metuamus. Generatim igitur, si iusta perspiratio desit, vitandum omnimodo frigus est, et abstinentia vtendum, porro ambulandum, per manus quoque excercendum, et summa cutis diu perfricanda est. Ceterum quae reuocandam perspirationem plurimum valeant, ea ex ratione tum consuetudinis tum valetudinis suae quisque cognoscat riteque seligat. Denique si summa cutis fordibus scateat §. xxx., balnea opitulabuntur et lotiones, in quibus corpus sapone purgatur.


§. XXXII.

Mucus.

QVANTA, eaque maxima quidem praecipua secundae valetudinis praesidia mucus, qui heic atque illeic in corpore secernitur, constituit, tantae idem calamitati esse potest, si non vicissim exeat corpore, sed abundet. Complures sunt in corpore officinae muci. Quantas illarum enim vniuersa narium regio, quantas faucium, quantas stomachus, tum arteria aspera, intestina porro, adhaec vreterum canales, vesica iusuper atque vrethra, praeter ea vagina, quantas denique subtiliorem elaborantes articulorum glandulae complectuntur, quarum incredibilis copia, quum rubicundarum in cauo articuli tum a pinguedine absconditarum existit, quarum maxima pars in tendinum ac ligamentorum superficie, in ossium articulorum membranis et musculorum interstitiis distributa est, quae ne microscopii quidem ope singulae sub adsp-

D 2

ctum



Etum veniunt? Atque tam multiplices mucum adfundentes glandulae et copiam eius multiplicem et varium usum fatis superque edocent. Partim enim ille multos tractus humectat et liquore suo lubricat, partim ambitu suo partes tegit et ab erosione grauiter defendit. Saluberrima itaque homini, vt bene valeat, iusta mucii suo cuiusque in loco secretio est. Degenerat autem is salutaris humor atque abundat maligne in iis, qui lautius viuere et regali paene luxui indulgere solent, in primis si aetatem sedentariam, vel otiosam atque quietam, insuper degunt. Inde sanguinis abundantia, ex sanguine copiosior liquorum effusio, vasa liquoribus plus iusto turgida et quae elasticitatis iacturam faciunt, et dum se fortius adstringunt, tonum amittunt, tandemque eanguescunt. Sed si vires defecerint vasorum, chylus sanguini male miscebitur, sanguinis confectio perturbabitur, et morborum materia subinde accrescet. Quodsi igitur cibus potusque, qui alimenta sunt desiderantibus, onera fiunt plenis, quoniam ab iis, qui saluarem in modum epulantur, non ad tollendam, sed ad irritandam famem sitimque quaeruntur, necesse est, vt venter, dum male adfuescit plus capere, quam poterat, distentus sit, et admissio in totam eurem humore decolor vultus, pallor ac miserabilior ex cruditatibus, quam ex ipsa fame macies succedat, tum suffusio luridae bilis, neruorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium, praeter ea capitis vertigines, oculorum auriumque tormenta, innumerabilium postea febrium genera, supplicia luxuriae. Summatim perniciose abundans mucii copia cacochymiam gignit pituitosam, exitialem rheumaticarum adfectionum atque cachexiae omnis et hydropis scaturiginem ac secundam faeuientium aequae ac tenui peste repentium morborum matrem.

Adiici-

Adiiciendum puto, non in singulis quidem locis
iis, de quibus supra dixi, quod muci *secernendo* idonei
sint, *excretionem* etiam muci manifestam esse: multa pars
memoratae vtilitati minus inferuiens ab adfinibus vasculis
resorpta ad alia loca defertur, vbi excernitur. Itaque non
de singulis muci formis, verum vniuersim de praecipuis
muci excretionibus et interceptarum morbis ordine ex-
ponam. Praecipua autem muci organa sunt fauces, na-
res, aluus, et in feminis pudenda.

§. XXXIII.

Speciatim de feminis.

FEMINIS quidem hoc a natura, idque summo be-
neficio datum esse videtur, vt corpore et ad generandum
mucum multo copiosiore prae viris et ad excernendum
illum multis aptis locis sint praeditae. Itaque non inun-
dans muci secretio solum, sed etiam excretio frequentior
in feminis, quam viris locum habet.


§. XXXIV.

Morbi ex intercepta sigillatimque *faucium* muci
excretionem oriundi.

Si iusta muci excretio defecerit, morbis fomitem
praebebunt aut errores eius in aliena loca transfusio, aut
generatim abundantia nimia. Nominatim vero in fauci-
bus vbi subsistit, in bronchiorum glandulis coaceruatur
et vesiculas pulmonum crassitudine sua ac grauitate ob-
struit. Quo facto haustus ore aer vesiculas oppletas ae-
gre ingreditur, naturalis dilatatio pulmonum impeditur,
inspiratio laeditur. Fractis autem hauriendi spiritum vi-
cibus, expeditius ille redditur, quam hauritur; turbatur
iusta respirationis vicissitudo et inaequabilis redditur; an-

D 3

helas



helat aeger, subindeque ex imis pulmonibus sibilus auditur. Sanguis in pulmonibus remoras patitur, quorum sensus ANXIETAS est. Generatim vero hic morbus *asthma pituitosum* vocatur.

§. XXXV.

Narium mucus; itemque ille in PEYERII et BRUNNERI glandulis intestinalium.

NARIUM mucus non rite excretus stagnat in glandulis pituitariam tunicam obfidentibus. Hinc nervi tenduntur, caput doloribus vexatur pressoriis, nares exsiccantur, odoratio nulla, grauedo subsequitur cum cephalaea serosa. Impedita vero mucii excretionem in PEYERII et BRUNNERI glandulis intestinalium alius sicca atque exonerata difficilis et molesta redditur.

§. XXXVI.

Muliebrium mucus.

DE peculiari mucii secretionem in feminis §. xxxiii. dictam est. Hic lubricat partes et postea excernitur. Accidit saepe, ut idem abundantius secernatur profluatque, quae feminarum praeter naturam condicio *fluor albus* benignus nominatur, nomine coryzae potius pudendorum insignienda. Virgines quidem itemque coniuges in matrimonio sine ullo sanitatis incommodo eiusmodi fluxiones experiuntur; attamen si praepediatur talis fluxio, sexcentis morbis corpus obnoxium fit. Si tota cessat excretio, genitale tum ariditatem tum molestias sentit prurientes; in facie pallor, in corpore tumor, in membris grauitas, in functionibus praestandis torpor subsequitur. Qui morbosus status *cachexia* nominatur. Accidit non ita multo post, ut etiam ordinariae menstruum fluxiones

nes

nes desiderentur, vt febris accedat anomala, hecticae fe-
bri similis, quae corpus consumit. Atque idem ille mor-
bus, si in viro maturis et concubitum auide concupiscen-
tibus vagatur, *chlorosis*, itemque *febris alba*, *cachexiae*
virgineae virginique morbi nomine insignitur. Sed in
hoc morbo menstruorum obstructio haud necessaria est,
immo vero fluxiones illae chlorosin atque cachexiam pro-
prie discernunt. Cachexia etiam viris contingit genio
indulgentibus lautiori, vel vasorum atonia laborantibus.
Cachexia, cui non statim obuiam itur, incrementa capit,
et oedema gignit pedum. In venis longius a corde di-
stantibus, rediens sanguis maxime in iis, quae acclives
sunt, lentius procedit, in cachexia autem corruptis ae-
gerrime. Humores itaque in vasis serum vehentibus fa-
ciliiori negotio stagnare possunt, et si stagnant, pedes tu-
ment: cuius causae indicia haec sunt, si in tumore digi-
ti impressi vestigia cernuntur. Oedema illud inuetera-
scens hyprops pedum subsequitur. Quos vero aqua in-
ter cutem male habet, vel *anasarca* opprimuntur, si cun-
ctae partes corporis, quam longum est effusum serum
participant, tumoribus aliter aliterque per totum id ori-
entibus; vel *ascite*, si in abdomine vitium haeret, ven-
tre vehementer intento, vbi intus in vterum aqua con-
trahitur, et moto corpore ita mouetur, vt impetus eius
conspici possit. Rarius male reclusus mucus ad musculo-
rum tunicam defertur, quam vaginalem dicunt, et rheu-
matismos creat.

§. XXXVII.

Curatio.

Mucus in faucibus praeclusus inter initia morbi de-
riuandus ad inferiora, in primis intestina est. Id quod
vt consequatur, laxantibus opus est, cum primis salibus,
quae



quae simul resoluendi vires habent, vt tartaro tartarifato. Si autem asthma iam laborat aeger, et quum mucus tenacior fuerit, vitiosam materiam mobilem reddent et incidant acriora e plantis sumta, vt *pimpinella alba*, *angelica*, *aristolochia* cet., quae etiam in decocto profunt, praecipue additis laxantibus, in nodulo laxante. Efficacissime vero huic vitio *gummi ammoniacum* medebitur itemque vel squillae puluis vel extractum inde. Materia morbi mobilis reddita, ea sunt adhibenda, quae ex pectore eam eiciendi vim habent, nisi maior pulmones mucii quantitas obsidat, vt laxantium ope eam deduci necesse sit. Ad denda autem istis ea est medicina, quae in hoc morbo maximi fere momenti esse solet. Reficiendi scilicet pulmones sunt a mucio liberati iis remediis, quae corroborandi efficientiam praestant optimam atque adeo atoniam tollunt, in quibus corticem chinae ceteris antecellere quis est, qui nesciat? Excretio narium mucii si deficiat, profunt interne resoluentia, et quae sternaumenta mouent. Vt porro intestinorum incommoda, de quibus §. xxxii. dictum est, mitigentur, imperanda a medico sunt, quae lubricant: sed vt iusta inde mucii excretio perficiatur, salia auxilia erunt laxantia cum rhabarbaro. Vbi malus corporis habitus ex cachexia iam adest, attenuandi, corrigendi tandemque educendi vitiosi humores sunt, praeter ea solidarum partium robur, quantum fieri potest, instaurandum. Minime tamen ignoscendum esse medico reor, cui religio non est, in tali morbo grauiori salia temere propinare, quae alcalia audiunt resoluentia, quippe quae vehementius agunt, vt vasa vitiatas humidis distenta saepe rumpantur, vnde desperatus et mortiferus inuadit hydrops. Praestat itaque in eo morbo, si medicinam adhibeat medicus, a lenioribus incipere, maximeque id agere consiliis suis, vt quae naturae morbi appo-
site

sive conueniunt, feligat, caueatque curiosius grauioribus symptomatibus, quae alias peruersa curatione apprime accelerantur. Contra si digestiuis ante aegrotus bene curatur, addenda sunt infusa cum epicrasi laxantia, cuius generis sunt, quae ex *pimpinella alba*, *belenio*, *cichoreo*, *centauryo*, *fumaria* parantur, aliis laxantibus remissa.

In adfectu oedematoso et hydrope, requiritur lymphae quiescentis attenuatio atque eiusdem exinanitio, roborisque partium naturalis instauratio.

Sed quae ad hydropis curationem vberius pertinent, eorum alia paene in intercute ea inundatione perpetua sunt, alia obseruationes singulares desiderant, quum naturae morbi tum aegroti, in quibus proprie quoque et aetates, et tempora anni, et symptomata in hoc morbo saepius recentia considerare oportet, quae, utpote singularia transire liceat ad reliquas excretionum formas ordine potius progressuro.


§. XXXVIII.

MENSTRUUA.

NOTISSIMA et apud omnes peruulgata res est, quod peluis sit longe alia in feminis ac viris constitutio. Ut enim de ossium non nullorum et flexura, et duritia, et anfractu, et amplitudine taceam, quorum alia in virorum ossibus forma cernitur, peluis feminarum prae viris amplior; hinc maior partium, quas ista comprehendit capacitas, recipiendo sanguini deorsum versum acceleranti apprime habilis. Arteriae aequae ac venae vterum versus ad perpendiculum fere normatae sunt: praeter ea feminarum arteriae similibus in viris laxiores sunt. E contrario venae vteri valvulis destituuntur, quales in omnibus virorum venis, si venam portarum excipias, adesse constat. Demonstratum a viris doctis est, nominatim CLIFTONIO WIN-

E

TRIEG-



TRIEGHAM crassitudinem arteriarum in viris ad eam, quae est in feminis rationem plus minus habere, vt 21. ad 10. *). Ex quibus facili negotio intelligitur, quare humida in feminis, (quum arteriae in accipiendo sanguine faciles ac laxiores sint, et ad perpendiculum fere descendant, venae autem minus repugnent et ab utero maximam partem acclives sint,) copiosius ad partes in pelui positas feruntur. Hinc ordinaria quoque ac naturalis sanguinis in femina prae viro abundantia: attamen, id quod etiam v. su comprobatum satis est, minor prae viris perspiratio. Atque singula ea principium primum equidem esse duco, cur in virginitate matura toris, itemque in vsurariis et mulieribus, que non sunt grauidae sanguis paulatim in utero vel eius ceruice secernitur, cuius tandem exitus naturalis, qui in sanis circuitum habere certum solet, MENSTRA sunt. Ex causis enim memoratis sanguinis reditus per venas uteri non ita liber patet, imo vero sanguis receptum ad cor tardiolem, eundemque aegre habet. Retardatus vero circa uterum sanguinis transitus lympham suggeret in vasa lymphatica uteri affatim redundantem. Qua saturata vasa turgescunt et socias venas comprimunt. Hinc sanguis continuo adfluxu suo in utero potior vascula tandem adiuncta minora opplebit, quae ad cauum uteri desinunt, et ex quibus minutatim menstruum sanguinem uterus accipit. Quo facto lympham libere redibit; cessante autem causa venas premente, cessabit et sanguis in uterum stillans. — Sed quid est, quod menstruae fluxiones circuitum suum habeant certum et exacto fere mense iterum accedant? quaestionis huius explicationem non penitus rimari rationisque

*) Plenius de hoc differit excellent. EBERHARD in laudatis observationibus perillustris HALLERI; conferat. Physiologia BOERHAVII ab ipso edita.

que humanae auxilio perferuari nos minime quidem posse existimo. Fateamur ad naturae mysteria ea cum sexcentis aliis pertinere, quorum enucleatio hominem omnino fugit. At enim non defant ridiculae satis et lepidae opiniones subtiliorem eius phaenomeni explicationem prae se ferentes. In primis vero prisco aevo visum est, ordinarium menstruorum circuitum a luna vel adolescente vel senescente proficisci. Igitur vulgo cecinerunt:

Luna vetus vetulas, iuvenes noua luna repurgat.

Sed quam aliena haec a vero sint, vsus nos docet quotidianus. Multae enim vetulae crescente luna, puellae multae decrecente purgantur.

§. XXXIX.


Menstruorum fluxio.

GENERALIORVM autem menstruae fluxionis caussam in familiari fere feminis sanguinis abundantia positam esse ex multis aliis praeter ea efficitur. Primum quoniam grauiditatis tempore ea, quae ex vtero est, desinit. Quum enim fetus matris sanguine per funiculi vmbilicalis venam accepta in vtero nutriatur fons menstruae fluxionis hac de caussa in grauidis clausus est.

Simul ac enim quem vtero gestabant fetus in lucem editus est, praecipue in iis, quae non ipsae mammam praebent infantibus, fluxio ordinaria redit. Deinde si vel nulla arteriarum venarumque cum mammis coniunctio existit, hoc tamen sanguinis abundantiae signum prodit, quod paullo ante fluxionis tempus mammae, potissimum horridulae virginis, magis turgescunt, exacta autem fluxione molliores fiunt. Porro mulieribus non nullis fibrae prae ceteris firmiores, rigidiores atque ficciores sunt, solito densior cellulosa tela, vasa solidiora,

E 2

arteriae



arteriae ac venae duriores; hae menstruas fluxiones vel parciore vel plane nullas experiuntur. Sunt etiam gentes, quarum feminae fluxiones menstruas vel omnino ignorant, quem ad modum de priscis Scythis, itemque OLEARIO auctora de Gronlandiae incolis relatum legimus, vel quae primam virginis fluxionem arte sistunt, ita ut in perpetuum menstruis careant feminae, quod de Brasilianis narratur. Tandem morbi; qui interceptam menstruorum excretionem sequuntur, idem satis probant. Quibus feminis enim ex naturae vitio menstrua non proveniunt, capitis acerbissimi dolores sunt, vel quaelibet alia pars morbo infestatur. Eademque his pericula sunt, quae sunt articulorum vitia, ut dolores, tumoresque sine podagra similibusque morbis. Contra ea, dum vigent menstrua neque vel quantitate vel qualitate vitiosa sunt, bene valet femina.

Indicio autem esse possunt, inhibitas esse menstruorum fluxiones, ubi vel ingenue de hoc femina coram medico confitetur, vel si qua haud opportuno celans pudore medicum male eludat, hoc vitium prodent in facie pallor, tum nausea, anorexia, cephalalgia, respiratio difficilis, inflatus venter, oedema pedum atque totius corporis debilitas. Attamen sollertia medici saepe opus est, quoniam non numquam grauidae eum adeunt, alia inscitia adductae, aliae dolo malo, ut vafre percunctando medicinam reperiant, quae ad cienda menstrua plurimum valet, ut forte abortum patiantur.

Si facies florida fuerit, et naturalis immo maior etiam cibi appetentia, praesertim si alia grauiditatis signa minimeque dubia praesto sint, subdola de menstruis queritur meretrix.

§. LX.

§. XL.

Defectus menstruorum caussae.

SUPPRESSAE menstruae fluxionis caussae partim in sanguine, partim in vasis, ex quibus sanguis fluit, sunt quaerendae. Vitia in sanguine sunt, quando vel tota, sanguinis massa pituita scater, vel si quando ex refrigeratione sanguis rigeat et spissior redditus sit, id quod in primis accidit, si per fluxionis intervallum genitalia forte refrigerentur. Adhaec non nullae tamquam voraces eundem, et quoniam assumtus cibus in ventriculo non satis conficitur et coquitur, et chylus male paratus ad sanguinem transit, ac crassitudinem inducit sanguini, mora adfertur menstruis rite reddendis. Cibus etiam et potus nimis calidus et pinguis, panis, recens coctus, maeror, terror, otium et quies, cet. sanguinem saepe reddunt spissioem. Nocent menstruis sanguinis missio frequentior, itemque sanguinis defectio, quae grauioribus morbis debetur, vel nimia sanguinis abundantia, quae vasa potissimum dilatat, et impedit, quo minus se rite adstringere et sanguinem expellere queant. In organis denique excernentibus vitium latere potest, si vasa rigiditate laborant aut si in vagina membrana est concreta, aut si obstruuntur vasa a glutinosa sanguine, aut si scirrhus aliusve tumor viam claudit, tandemque sanguinis acrimonia et frigus partes saepe ita constringant, et tunc spasmus caussa est, quo minus sanguis effluere possit.


§. XLI.

Morbi inde.

MENSTRUORVM fluxio impedita si ex plena obstructione est, plethora morbosa existit, quae vasa ultra tonum expandit et debilitat, vt haec inde agilem suam vim se adstringendi amittant: in infirmis, autem vasculis san-

E 3

guis



gus non potest non vitiose perfici. Hac cursim dicta ratione symptomata supra memorata originem reperiunt, et more suo aegram ludunt. Sed simul atque vehementer et repentine cohibetur menstruorum fluxus, quaecumque id efficit causa, confestim praeuari grauissimique subsequuntur morbi. Praecordiorum anxietate, palpitatione cordis, aestu ac pulsu, quales in febre notantur, aegrotae corripuntur. Si autem sanguis ex refrigeratione repente in vasis vteri et cervicis subsistit, vel quoniam fortiora aliaque peruersa remedia ab incuriosis data acceptaque sunt, aut inflammatio subsequetur vteri, aut scirrhus oborietur, id quod praecipue illis continget, quibus ceteroqui corpuscula haud perpeffitia, sed magis sensibilia atque irritabilia sunt. Singulares tandem haemorrhagiae, itemque inflammationes exardescunt, si sanguis male redux ad aliena defertur loca. Sanguis impetu ad vasa cerebri appulsus apoplexiam producet. Quanta itaque morborum colluies, ex intercepta huius sanguinis excretionem! Sed singula perlustrare circumscripti libelli huius limites prohibent. Sua cuique morbo peculiaris medendi ratio est. Sed ego iam primariae morborum eorum causae remediis succurrere fatius duco.


§. XLII.

Medendi ratio.

HACTENVS de causis menstruorum suppressorum; ad medicinam transeo, quae eas tollet. Primum itaque si ex sanguinis crassitudine aegra laborat ex mala concoctione ventriculi saepe orta, ventriculus saburra sua vacare debet et ab ea purgari, et deinde corroborari denuo, ne forte recens pituita generetur, in primas vias quae redundet et sanguinem vicissim vitiet. Optime medebitur ei vitio vomitione, nisi vires in aegra defint, vel alia
eam

eam vetent, ex. g. metuenda excreatio cruenta, vel alius haemorrhagiae impetus, si ad eas ceteroqui proclivis natura aegrescentis esse solet; itemque quum calculosa est aegra. Sub his condicionibus praeferenda sunt vel purgantia vel salia laxantia iterum iterumque sumta; sed si acidum in primis viis lateat, quod semper ansam praebet pituitae generandae, purgantibus illico vti peruersa curatio esset: aduersus hoc vitium *magnesia* vim medicatam suam maxime egregiam praebabit, quippe quae ab acido saturata sal medius quidam euadit cuius ope acido isto corpus optime liberatur. Post vero, quam ventriculus saburrae suae iacturam fecit, corroborandus remediis optimis. Renouato ventriculo prima cura sit corrigendi vitia sanguinis, praesertim spissitudinem diluentibus. Plurimum valebit aqua pura cum radicibus, quibus principii mucilaginosi multum inest, cocta. Praestat omnino talis aqua in spisso sanguine diluendo, quoniam humoribus nostris melius admiscebitur. Eximia praeter ea virtute sunt decocta vel infusa antiscorbuticis herbis, itemque succus expressus *beccabunga*, *trifolio fibrino*, *cochleariae*, *centaurio minori* cet. Neque contemnenda sunt salia alcalina, quae ex plantis inustulatis depromuntur. Tartarus item tartarifatus, celeberrimi *MVCELII* methodo paratus, medicina erit, scilicet vt *extracto centaurii minoris* iunctus, aqua adscita in mixturam redigatur. Atque haec quidem est medendi ratio, si vasa vteri humore varie crasso clausa fuerint. Emendata sanguinis spissitudine adhibenda tandem remedia sunt ciendis menstruorum fluxionibus propria. Quo pertinent aromatica stimulantia, quoniam citatiorem reddunt sanguinis circulum, Decocta radicum *aristolochiae rotundae*, *gentianae rubrae*, *angelicae*, *pimpinellae albae*, itemque herbae *matricariae*, *abrotani*, *melissae*, *origani*, flores *cheiri*, *arnicae*, baccae *iuniperi* et *lauri* maiorem in modum se commendant.

Porro



Porro ex sanguinis abundantia vasa ita expandi possunt, quo minus fibrae se adstringere queant; ubi vena ferienda est in pede, et deinde ea adhibenda sunt, quae lenius sanguinem commouent.

Fluxum a frigore admissio interceptum, sorbitiones calidae euocabunt, si praeter ea vitae ratio habeatur, quae perspirationi conducit.

Aduersus spasmodum auxilium ferunt remedia antispastica, ut *puluis castorei, extractum castorei*, aut urgente necessitate *opiata*, quae tunc emmenagoga esse possunt. Sed si ea inflammationem minitari videantur, sapiens medicus *opiata* maxime cauebit, quippe quae illam augent. In vasorum debilitate roborantia martialia virtutem emmenagogis parem habent. Magna etiam efficientia *Sydenhami* vinum est ex *ferro* et *cortice chinae* paratum. Rigiditati vero vasorum emollientia hausta medentur. Sanguinis denique defectum prae omni medicina victus supplebit, qui largius alit sanguinemque auget, iuscula puta vitulina cum radicibus apii, petroselini, cichorei, et aliis similibus.

Membrana in vagina concreta operationem postulat chirurgicam. In curatione huius mali hoc in primis notandum est, ut semper incipiamus a lenioribus, et remedia accommodemus paullo ante tempus, quo alias accedere menstrua solent.

§. XLIII.

Lochia.

LOCHIORVM fluxus est sanguinis excretio post partum ex vteri vasculis apertis. Si haec excretio rite succedit, corpus a multo liberatur periculo ac discrimine, in quod adducitur, ubi lochia retinentur. Supprimitur autem haec excretio refrigeratione, quocumque modo facta;

sta; id quod etiam contingit terrore subito percussis, itemque squalore ac maerore confectis; plerumque opiata quoque et medicina adstringens inconsulte data lochia sistunt. Simili ratione desiderabitur lochiorum fluxus, si os vteri obstetricia manu forte laesum intumet. Frequentissima causa est spasmodica fibrarum vteri constrictio quippe qua ora vasorum et osculum vteri occluduntur. Simul atque haec excretio sistitur, aegra de anxietate conqueritur praecordiorum et de praeter naturam ingruente aestu. Si vero orificium vteri ex quacumque causa obstructum est, fluxus impeditur sanguinis, etsi ex vasculis vteri apertis non nullus exprimatur, plurimus tamen in vtero retinetur, tarditate et mora corrumpitur et mox putrescit. Sed sanguis putridus si per vasa resorbentia ad massam defertur humorum, viam pandit ad febres putridas; in robustioribus quidem, putrida materia sub purpurae albae forma ad extremitatem corporis expellitur.


In sanguineo, cholericis si sanguis in vasculis vteri propter spasmus stagnat, vteri inflammatio suboritur, quae vel in scirrhum abit vel exulceratione itemque gangraena tandem finitur. Si vniuersa vteri vasa spasmo adficiuntur, qui extrinsecus efficitur, ex. gr. a frigore, sanguis ad interiores partes recedet, quo facto alias atque alias partes inflammatio adgredietur, praecipue vero eas, quae iam debilitate laborant, in quibus alias adfluxus sanguinis in femina illa fieri adsolet.

Obstructio in partibus abdominis autem, mater longorum morborum, quos chronicos vocant, mali hysterici, melancholiae, et maniae.

§. XLIV.

Medela.

PROSPICIENDVM maxime initiis morborum est, qui
F ex



ex interceptis lochiis oriri possunt, ita vt iustae illorum fluxiones actutum restituantur. Si febre caret puerpera diluentia optima sunt remedia, iura tenuiora cum apii atque petroselini radicibus. Decoctum aquosum chamomillae, vel cereuisia cum chamomilla cocta, saepius speratum praestant effectum. Vna cum his remediis lenius laxantia, vt decoctum *tamarindorum* aut *pillulae STARKII*, exhiberi possunt. Quod si lochia denuo profluunt, lenius stimulantibus opus est, ex gr. *Elixirio viscerali temperato* HOFFMANNI cum *liquore anodyno*. Corporibus adstrictis lubricantia profunt, vt oleum amygd. cum iusculo calido. Contra spasmus antispasmodica danda sunt, *liquor anodynus* cum *naphtha vitrioli* et *ess. castor.* Si cum febricula coniuncta est obstructio, temperantia febrim lenient. Quod si autem nullis fere auxiliis fluxus restitui posse videtur, vena incidenda est, praecipue in feminis, quae per grauiditatis suae tempus sanguinem non miserunt.

§. XLV.

Excretio in aure.

AVRIVM fordes quae in glandulis ceruminosis in meatu auditorio, inter membranam et periostrium, quae meatum illum inuestiunt, fecernuntur, et deinde per canalem suum in meatu auditorio excernuntur, causam morbi suppeditare possunt, si excretio non rite succedit. Accumulantur enim fordes retentae, a quibus fluidiora exhalant: quo facto exsiccantur et meatum auditorium opplent. Interim continenter recens adfluentibus accrescunt, meatus auditorius angustior redditur, ita vt radii sonori non rite ad tympani membranam allidere possint, ex quo oritur surditas. Simili ratione oritur otalgia, quum fordes in glandulis stagnant glandulaeque tument et periostrium premunt, nervos expandunt, et dolores faciunt.

Mede-

Medetur his vitiis vitae regimen, quod perspirationem promouet, itemque profunt lenius resolutentia et extrinsecus olea emollientia meatui auditorio apte concilianda.

§. XLVI.

Haemorrhoides.

HAEMORRHOIDVM fluxus omnino ad excretionem pertinet naturales, quatenus accessionem decessionemque certam habet, et sine multo incommodo aliaque corporis offensione prouenit, et quatenus leuamen inde accedit iis, qui haemorrhoides habent. Varias quidem haemorrhoidum formas sunt, sed hae non ad me, quum iam non nisi de fluentibus agam. Plethora, sanguis ater et crassus, atque difficilior eius per viscera abdominis transitus haemorrhoidum causas sunt proximae. Namque si sanguis abundat in corpore, vasa haemorrhoidalia interna, arteriae mesaraicae inferioris propagines, in intestino recto tument, vasa lateralia arteriolarum aperiuntur et sanguinem fundunt. Hic fluxus rite succedens, beneficium insigne est naturae, et mortalium corpora a variis, iisque grauibis morbis tuctur, quid! quod morbis eadem, si iam adficiuntur, liberat. Generatim itaque parum tuto supprimitur, maxime in iis, qui sanguinis profuuio imbecilliores non fiunt; habent enim purgationem hanc, non morbum. Si nihilo fecius vel medicina vel alia quaecumque est causa suppressa fuerit, quum sanguis exitum non habeat, inclinato in praecordia ac viscera sanguine, subitis et grauissimis morbis illi corripuntur, qui fluxiones earum pridem sunt experti.

§. XLVII.

Suppressarum haemorrhoidum causas.

CAUSSARVM vero quae supprimunt haemorrhoides, aliae in iuuenili aetate, aliae in aetate prouectioribus



oribus quaerenda sunt. In iuuenili, quando praematurae haemorrhoides proueniunt et deinde subsistunt, obstructionem diuersa victus ratio inducere potuit; itemque infirmitas corporis: accedunt aliae caussae, de quibus deinceps diceretur. In aetate prouectis plerumque corporis, praesertim viscerum debilitas exitum occludit. Quanta enim ad eruptionem sanguinis vasorum efficacitas, quam fortis sanguinis appulsus requiritur? — Quod itaque ad primum attinet, quantum immutata vitae ratio in valitudine corporis mutanda valeat, intellectu facile est. Si enim corpus valde nutrientibus alitur, oritur plethora, multus vini vsus vasa stimulat et expandit, humores glomerat, et sanguinem ad eas partes commouet, vbi alias saepius congeri solet. Sed deficiente lautiori victu, plethora et stimulus vasorum deficiunt, quae ceterae alias haemorrhoidum fluxionem possunt. Frigus, terror et medicamenta adstringentia simili ratione fluxum sistunt. Frigus et terror nervos et vasa constringunt et sic excretionem eam impediunt. Adstringentia autem vel in robustioribus sanguinis eruptioni obsistunt. Itaque acetaria fortiora, vina acida, et quae ex penaria cella deprompta multum adstringunt, praecipue in aetate iam deflorescente obstructionem inferunt quam saepissime.

§. XLVIII.

Haemorrhoidum suppressarum morbi.

MORBI, qui haemorrhoidum praeter naturam subsistentium comites esse solent, sunt fere ordine subiecti. Omnibus vero commune hoc est; si excretio per vasa haemorrhoidalia fluens inhibetur, difficilior fit sanguinis circulus per viscera abdominis, quae officinae chyli a natura sunt; sanguis spissior redditur, vasa ab sanguine atro et crassiori expanduntur, tandemque debilitantur et officio suo defunt. Aegri corporis grauitatem et hypochon

pochoñdria quasi oppleta sentiunt, et de spirandi difficultate conqueruntur, de dolore in pectore praecordiisque; id quod diu aliquos trahere potest. Ob debiles viscerum autem, quem ad modum dixi, chylum satis elaborandi perficiendique vires labefactatur simul altrix naturae facultas in ciborum concoctione occupata; hinc in ventriculo cruditates generantur.

Quo maius hoc, quo diuturnius corporis vitium est, eo plura fluida degenerant, et, dum impedito transitu longius retardantur pravam acquirunt indolem, ea quidem, quae e plantis sunt, redduntur *acidiora*, quae ex animantibus, *nidorosa*. In tali saburra calore naturali aër expanditur: et generantur flatus qui cardialgiam producunt flatulentam, Aluus saepius adstricta, interdum tamen fusa est, vrina tenuis apparet, propter spasmos viscerum in abdomine. Hisce symptomatibus stipatum initio incedit malum hypochondriacum, progressu temporis omni fere circumdatum aegritudine. Nam hoc miserabile hypochondriorum vitium complurium morborum commune hospitium ac colluuium exitialis est.

§. XLIX.


P O R R O.

S E D si sanguinis spissitudine simulque vasorum angustia laborant aegroti, et si praeter ea sanguis partibus terrestribus abundat, quam facili negotio haec obstruent abdominis viscera? Interdum lien tumebit, quoniam splenica vena atque haemorrhoidalis interna nexae inter se iugataeque sunt: interdum hepar turgebit, utpote cum liene coniunctum. Raro ex hac obstructione oritur inflammatio, at plerumque scirrhus.

§. L.

Reliqui inde morbi.

SPASMORVM denique vehementia si fluxus sistitur,
F 3 humo-



humores de via aberrant et ad aliena congeruntur loca, si in pulmones sit congestio, vasa vel rumpuntur et haemoptysis oritur: si ad lien defertur, per vasa breuia in ventriculum exoneratur sanguis, ex quo vomitus oritur cruentus: si grandi impetu vasa cerebri inundat apoplexiae locus datur. Atqui si sanguis per pulmones, et per partes diaphragmati subiectas non libere mouetur asthma sanguineum nascitur. In senio vero confectis, quibus viscera sunt debiliora, maior mucii copia quae per fauces saepius excernitur, facili negotio, maxime si accumulatio sanguinis in pulmonibus accedat, paralyfin pulmonum parit, quam *catarrhus* nominant *suffocatum mortiferum*. Quodsi tandem ex spasmo viscerum abdominis aequali impetu ad cerebri vasa defertur sanguis, cephalalgia aegrotantes cruciat longe pertinacissima. Vehementior concursus sanguinis ad renes nephritidem gignit. In sanguineo-phlegmaticis ex haemorrhoidum obstructione cacochymia nascitur: accedit tandem malum integritati corporis inimicissimum, quod hereditarium euadit, plerumque acrimonia tenerrimi vasorum ramuli inficiuntur, quae efficientiam suam primam in lympham exferet, quam coagulabit. Atque haec si in artuum vasis seroso-lymphaticis tandem rigescit, articulum aegre mobilem reddit. Hinc sensus materiae circumiectas articuli partes exedentis, quem articularis morbi cruciatus excipient.

§. LI.

C u r a t i o.

MAXIME anceps et curatu difficilis est, cum primis in infirmitate laborantibus, haemorrhoidum fluxionis redintegratio. Si remedia in ciendis haemorrhoidibus minime dubia rite adhibita parum profecerint, equidem mitigandi symptomata, quam vltius euocandi periculum facere satius duco. Phlegmaticis *STAHLII pillulae cum grano*


grano vno et item altero *extracti bellebori nigri* auxilio erunt; a quibus tamen abstinendum est, simul vt vasa externa haemorrhoidalia tument. Cholericis autem, quae temperant, magis profunt, si accedunt haemorrhoidura molimina. Pro potu ordinario acrescentes vtantur aqua viua aut felterana, itemque decocto *radicis ciclores*. Contra ea vasorum imbecillitati melius consulitur, si tonica adhibentur martialia, quando molimina adgrediuntur. Aduersus sanguinis spissitudinem diluentia requiruntur mucilaginosi quidem coniuncta, vt abunde et eo potius misceri possint inquilinis humoribus nostris. Sed si subito, quacumque fuit causa, haemorrhoides subsistant, sanguinis detractio curandum est, et item pedes lauandi iterum iterumque balneo sunt. Tenendum tamen est in methodo medendi, singula, quae in ciendis haemorrhoidibus remedia propria sunt, non nisi accessionis tempore et scitius moliminibus subinde esse accommodanda.

§. LII.

Seminis profusio praepedita.

QVAMVIS naturalis seminis profusio perpetua non fit, immo vero ad illud genus excretionem pertineat, quas peculiare esse dixi, §. III. tamen tempestiua si prohibetur, praecipue in illis, qui abundant semine, et eius excretionem frequentant, et molestias creat et morbos praevios. Namque in omni animante masculino ceteroqui sano firmo et succo illo, quo alitur, abundante, ab arteriarum sanguine in testiculis semen quotidie fecernitur, cuius copia vesiculae seminis expanduntur atque idemtidem ad concubitum adhortantur. Subtiliora seminis licet per vasa resorbentia ratione salubriori corpori ad massam redeant humorum et vigoris fons sint atque integritatis corporis, nihilo secius tamen vesiculae ita saepe distentae sunt, vt semen

men



men continenter adfluxum capere amplius non possint, accumulati vero feminis in testiculis tumor indicium est cum grauitatis sensu et dolore coniunctus. Atque haec febricula saepius excipit, quam spermaticam nominarem. Vehementiorem eius stimulum et pressum in vesiculis feminalibus satyriasis consequitur. Multa inde libidinosae phantasiae simulacra, quibus cum ingenti cubandi cum aliqua desiderio agitantur misere prurientes, cui satisfacere quum res multae prohibent, tristiores ideae et melancholia in non nullis oboritur venerea, in temperatura vero sanguinea eiusdem nominis mania. Praeclare CELSVS:
 „Rarus concubitus corpus excitat, frequens soluit. Quum
 „autem frequens non numero sit, sed natura, ratione
 „aetatis et corporis, scire licet, eum non inutilem esse,
 „quem corporis neque languor neque dolor sequitur.
 „Idem interdum peior, tutior noctu; ita tamen, si neque
 „illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim se-
 „quitur. Haec firmis seruanda sunt; cauendumque, ne
 „in secunda valetudine aduersae praesidia consumantur.

§. LIII.

R e m e d i a.

MEDEBITUR vero morbo, si feminis profusiones nocturnae iterum restituantur, auxilio potionis temperantis extrinsecus cataplasmatum emollientium naturalibus applicatorum. Optimum autem est, corpus labore exercere, et cibus uti non admodum nutrientibus et qui contrahere semen videntur. Ceteris autem matrimonium ineundum suadendum omnino esse existimo.

ATQVE haec quidem sunt, quae de praecipuis excretionibus, earumque interceptarum morbis commentaturo mihi dicenda esse videbantur.

F I N I S.

QVOD FELIX FAVSTVMQVE
REIPVBLICAE LITTERARIAE ALMAE^E IN PRIMIS IVLIAE CAROLINAE
SALVTARE ESSE IVBEAT

DEVS TER OPTIMVS MAXIMVS
AVCTORITATE CAESAREA

AVSPICIIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI

CAROLI

BRVNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCIS
ACADEMIAE SVAE RECTORIS ET CANCELLARII
MAGNIFICENTISSIMI

PRORECTORE MAGNIFICO

GEORGIO SIMONE
KLÜGEL

PHILOSOPHIAE DOCTORE ET MATHEMATVM
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
SOCIETAT. REG. SCIENT. GOETTINGENSIS CORRESPONDENTE, ET TEVTONICAE, QVAE GOETTING. FLORET, MEMERO ORDINAR.
ITEMQVE INSTITVTII HISTOR. IBIDEM SODALE EXTRAORD., DVCAE SOCIETAT. HELMSTAD. COLLEGA HONORARIO
EGO

GODOFREDVS CHRISTOPHORVS
BEIREIS

PHILOSOPHIAE ATQVE MEDICINAE DOCTOR
SERENISSIMI DVCIS BRVNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIIS AVLICIS
MEDICINAE THEORETICAE MATERIAE MEDICAE CHEMIAE CHIRVURGIAE ATQVE PHYSICES
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

ORDINIS, MEDICORVM DECANVS BRABEVA ET PROCANCELLARIVS

VIRVM

NOBILISSIMVM ET DOCTISSIMVM

IOANNEM FRIEDERICVM
GRVMBRECHT

HILDESIVM
POST ADPROBATAM EXAMINIBVS CONSVETIS
SVAM IN MEDICINA PERITIAM

ET HABITAM
DISSERTATIONEM SOLEMNEM

DE
PRAECIPVIS MORBIS QVI EX INTERCEPTIS EXCRETIONIBVS PROFICISCVNTVR

MEDICINAE DOCTOREM

RITE CREAM ET RENVTIAVI
DIE XXX. DECEMBRIS CIOIOCCCLXVIII

ID QVOD
PVBLICO HOC DIPLOMATE
TESTOR ET CONFIRMO

P. P. IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA SVB SIGILLO ORDINIS MEDICI



OVOD TETI

REPERIBITUR LITTERARUM ALI

LIBRARI

DEUS PER

AVCTORITATE

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

Patrol ^{spez. 60}
gen.





